

## CONCIO VI.

## DOCUMENTA.

I. Voluntas propria fugienda. — II. Honores non ambiendi. — III. Honorum candidati examinandi. — IV. Non promovendi propinqui.

## THEMA.

*Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ejus. Matth. XX.*

Leonis I. imp. dictum celebratur: « Quemadmodum sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil imperit caloris, sic princeps debet eos dignari sua misericordia quos contuetur. » Fecit sane hoc princeps noster Christus, qui cum esset lux mundi, omnibus ad se accedentibus gratiæ suæ calorem, et lumen intelligentiæ liberalissime imperavit. Accessit ante paucos dies ad eum Magdalena, et calorem gratiæ ab eo reportavit: accessit in hodierno evangelio mater filiorum Zebedæi, et lumine intellectus ab eodem illustrata est. Accedamus igitur et nos auditores ad solem mundi: scriptum est enim Psal. XXXIII. *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur, id est, non patientur repulsam.*

I. Discimus, fugere et aversari propriam voluntatem, quia vult plerumque vel noxia sibi vel inutilia. Sed unde istud discimus? A filiis Zebedæi, qui ut scribit S. Marcus, capit. X. his verbis proposuerunt Christo petitionem suam: *Magister volumus ut quodcumque petierimus facias nobis.* Quibus Dominus: *Quid vultis ut faciam vobis?*

Propria voluntas est illa, quæ dicit: *Volo Domine, ut facias mihi quodcumque petiero: at cui respondet Dominus: Quid vis ut faciam tibi? Voluntas vero Deo resignata dicit cum Saulo: Domine quid me vis facere? Recte vero propriæ voluntati respondetur: Nescis quid petas. Quid enim ea petit, nisi quæ sibi noxia sunt? Dum enim conatur satisfacere propriis motibus, semetipsam perimit, et gehennam sibi in altero sæculo accendit. Marius unus e triginta tyrannis, qui imperium invaserant, uno die factus est imperator, a ferro imperavit, tertio interemptus est a gregario milite, qui adoriens eum sic, dicebat: *Hic est gladius, quem ipse fecisti; Marius enim ad imperium e cultrarii officina pervenerat, et illius militis opera in fabrilis opere usus fuerat, Trebellius Pollio, de triginta tyrannis. Ergo dum hic imperium sibi rapuit, revera gladium sibi ipsi eudit. Idem facit propria voluntas, suo se gladio jugulat, dum ea, quæ sibi et non quæ Deo placent, eligit et rapit. Unde merito audit: *Nescis quid petas: hic est gladius, quem ipse fecisti: hoc voluisti, hoc petisti, quod tibi nunc in perniciem cedit.***

Imo Sanctus Bernardus, serm. III. de resurrectione Domini, nihil Deum odisse aut punire ait præter propriam voluntatem: *Cesset voluntas propria, inquit, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem.* Quæ sententia Bernardi per hanc apologum belle explicatur. Fertur aliquando fœx hominum, latronum, furum et similium ampla societas supplices libellos porrexisset iudicibus, quibus eos rogabat, ut furcas et patibula, rotas et theatra plectendorum, veluti rem fœdam, ante urbes, amolirentur vel everterent, parcendum esse oculis et naribus transeuntium viatorum. Quibus responsum a magistratu: « Siquidem ipsi cupiant hæc supplicia amota, et morem plectendi abrogatum; prius ipsi abrogent furta et morem furandi ac latrocinandi: cessatura statim ea supplicia, ubi cessaverint ipsi scelesti agere. » Hic e furum medio unus audacior: « Venerabiles domini, inquit, nos furtorum et rapinarum auctores minime sumus: quod ergo nos non adinvenimus, non etiam abrogabimus. » « Bene est, (inquiunt iudices) neque nos, o viri, patibula excogitavimus, quare nec abolebimus. » « Primos nostros parentes in furto deprehensos scimus; hinc omnium scelerum origo; necnon pœnarum et inferni. Nos jam eorum posteri quoties lamentamur, quoties conquerimur puniri nos a Deo, et insuper in altero sæculo metuimus infernum? »

Quoties optamus, quodammodo supplices Deo dicimus: *Ut quid Domine parasti infernum? Cur non e medio eum tollis, cur opus manuum tuarum eo punire vis? Fœdum et abominabile est hoc in universo spectaculum. Respondit nobis Deus optimo jure: Cessent peccata vestra, et cessabit gehenna. Sed nos iterum objicimus: Non, o Domine, scelerum primi auctores non sumus: peccavit dudum ante nos protoplastus et diabolus. Respondet iterum Deus: Neque ego infernum primus adinveni, sed superbia et inobedientia aliaque scelera: quæ quamdiu stabunt, tamdiu stabit gehenna. Vultis autem scire modum aliquem extinguendi orcum? Audite præconem meum Bernardum: *Cessat voluntas propria et infernus non erit.**

Rationem porro idem sanctus subjicit: « Primo namque, ait, seipsam (voluntas propria) subtrahit et subducit ejus dominatui, cui tamquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc, et quod in se est: omnia quoque quæ Dei sunt, tollit et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possi-

bilis, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere, sed utinam vel rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desæviat rectorem. Nunc autem et ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quia quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem aut injustum esse aut insipientem. » Hæc Bernardus.

Quid miremur ergo vel querimus infernum esse paratum propriæ voluntati? Tollat hanc in se unusquisque, et sustulit infernum vel saltem inferni sedem, sibi alioqui paratam. Sane Deus noster nihil magis desiderat, quam claudere infernum, sicut mater projicere in fornacem baculos et virgas. At si videat contumaces liberos, depromit vel invita baculos et virgas ad plectendam contumaciam.

II. Discimus, non ambiendos honores et dignitates. Audimus enim dici discipulis ad honores aspirantibus: *Nescitis quid petatis.* M. Cicero de petit. consul. narrat sibi consulatum petenti suggestum fuisse a Q. Cicerone, ut quotidie fere ad forum descendens hoc ruminaret: *Novus sum, consulatum peto, Roma est.* Tria hæc cogitet etiam Christianus, qui vel ad hujus sæculi vel ad cæli honores aspirat.

Primum: *Novus sum*, in solo, non in sole natus, plebeius sum, juvenis et imperitus, meipsum regere nescio; et alios regere volo, nobilibus, veteranis, eruditibus imperare; terra sum et cælum peto?

Secundum: *Consulatum peto*, dignitatem arduam, onerosam, laboriosam, periculosam, invidiosam peto? Honores et rumusculos hominum vanos, mendaces et momentaneos peto? Cælum et gloriam æternam peto, in qua cum Deo æternum regnum?

Tertium: *Roma est*, civis Romanus et vir fortis ac magnorum meritorum esse debet, qui episcopatum, qui consulatum, qui cælum, quod vim patitur et a violentis tantum rapitur, ambit. Multi in hac mundi urbe sunt, te longe meliores, sapientiores, digniores, habebis multos æmulos, multos obrectatores, Deum denique severum iudicem, si indignus dignitatem ambieris, indigne ebieris. Hoc ergo Christi verbo instructi viri sancti tanto conatu fugerunt honores, quanto eos alii quærere solent. Talis S. Ambrosius qui populi voce Mediolanensis episcopus postulatus, noctu aufugit ex urbe, imo adulterum et sangui-

narium se simulavit: S. Augustinus, qui cognita sui episcopi morte, et ipse aufugit ab urbe, idem serm. XXV. ad fratres in eremo scribit: « Usque adeo timebam episcopatum, ut quoniam cæperat jam alicujus esse momenti inter servos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, ne illo accederem, caverem: et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alio periclitarer: » Sanctus Gregorius, qui electus in pontificem, non tantum fugit, sed etiam ad Mauritium imperator. scripsit, rogans, ne consentiret suæ electioni: Sanctus Chrysostomus episcopatum metuens in solitudinem secessit: Sanctus Martinus, teste Sulpitio, ne diaconatum quidem suscipere voluit, nedum episcopatum, nisi coactus: Sanctus Malachias, ut in ejus vita scribit S. Bernardus, nisi episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non acceptasset episcopatum: Sanctus Ammon monachus aurem sibi præcidit ne fieret episcopus, quem tamen nihilominus in episcopum ordinavit Timotheus episcopus Alexandrinus, dicebat enim: *Ergo si dederitis mihi aliquem etiam manibus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo episcopum facere*, Pallad. in Lausiac. capite XXII. Nilammon monachus in Geris vitam in domuncula lapidibus obserata ducens, mortem a Deo petiit, et impetravit ne illius urbis episcopus fieret. Cum enim a Sancto Theophilo episcopo Alexandrino, et populo urbis ad hoc urgeretur, isque sapius recusaret, re dilata in crastinum, et Theophilo petente ut fores aperiret: *Oremus primum*, inquit ille; et inter orandum vita functus est, Sozomenes, apud Baron. anno 403.

Eandem mortem obtinuit a Deo S. Goar, cum a Sigeberto Francorum rege postulatus esset Trevirorum episcopus, ut in ejus vita. Idem suo modo dicendum de sacerdotio, quod diximus de episcopatu. Bene enim dixit Leo imperat. Lib. XXI. capit. de epis. et cleric. *Indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.*

III. Discimus, honorum candidatos, præsertim ecclesiasticorum, priusquam promoveantur, bene examinandos esse, an digni sint et apti, juxta exemplum Christi filios Zebedæi ita examinantis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?*

Bene ergo de Christo prophetavit Malachias, cap. III. *Ipsi quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum; et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.*

Hoc enim facit Christus in Ecclesia per sedulos episcopos, qui nonnisi post exactum examen

ignos ordinant. Quemadmodum ergo aurifabri purgant aurum et argentum a scoria; et quemadmodum colatur liquor pretiosus per subtile linteolum, ita purgandi et colandi sunt, qui sacerdotium ambiunt.

Viderint hic in primis episcopi, qui hujusmodi aurifabri et percolatores sunt, ut aureos et argenteos non stanneos sacerdotes ordinent et populo præfiant, ne audiatur id Sancti Bonifacii, Germaniæ apostoli, verbum: *Olim sacerdotes aurei celebrabant in calicibus ligneis, nunc lignei sacerdotes celebrant in calicibus aureis*, ut in ejus vita. Sane sicut principibus maledicit populus, si eum pream monetam pro argentea cudant, ita multo magis irasci potest episcopus, si ligneos sacerdotes pro argenteis accipiat. Hinc timuit sibi Amos, cum ex abbate in patriarcham Hierosolymitanum ordinaretur. Inter alia enim dicebat: « Plusquam cætera timeo ordinationis sarcinam: nam inveni scriptum, quia beatus est angelus æqualis. Leo papa quadraginta dies perseveravit ad sepulcrum apostoli Petri, vigiliis et orationibus insistens petensque ab apostolo, pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletis quadraginta diebus apparuit ei apostolus Petrus, dicens ei: Oravi pro te et dimissa sunt omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum, » (intellige quoad pœnam, non quoad culpam), Baron. anno 464. Hinc non nisi præcedente oratione et jejunio quatuor temporum ordinantur sacerdotes; hic insigniores viri cœlesti Dei suffragio ad episcopale munus electi et demonstrati sunt; Matthias apost. sortibus a Deo directis; Fabianus papa per columbam in ejus caput descendentem, quemadmodum et S. Chrysostomus; S. Gregorius papa indicio columbæ super se pendens; S. Remigius episcopus Remensis indicio radii cœlestis; S. Guntherus episcopus Ratisbonensis per somnium Althoni imperatori immisum, etc. Dicant ergo indignis episcopi: Sedere ad dexteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed qui paratum est a Christo. Viderint deinde parentes, qui filios promotos volunt ad ss. ordines et dignitates, antequam vel ætatem vel alias requisitas condiciones habent; volunt enim illi sedere juxta Christum filios suos, sive ad dexteram sive ad sinistram, hoc est, non curantes, utrum in eo numero salvandi sint vel damnandi, sed ut modo ipsi filios habeant, Christo propinquos, quos vocare possint dominos, qui sedeant et quieti vitam commode agant, etc.

Viderint inquam, ne filios suos immolent idolo Beloch seu igni; Dominus enim quasi ignis contigit aliquando colabit eos in judicio. Viderint

denique filii ipsi ne ambiant vel acceptent dignitatem sibi indebitam vel suis viribus majorem. Ipsorum enim parentes modo aliquo excusari possunt, quia non satis rem intelligunt, ipsi vero nequaquam. Quæ causa est, cur Christus non responderit in hodierno evangelio matri postulanti, sed filiis, quibus ipsa postulabat: *Nescitis quid petatis*. Pauci hoc advertunt; sed quacumque tandem ratione possunt ad ordines et dignitates ascendunt, dicentes: Possumus bibere calicem in sacrificio missæ; non attendentes ad illius calicis pretium et periculum: et quod calix ille indignis sit calix judicii et vini indignationis iræ Domini, Apocal. XVI. Bibunt quidem aliqui calicem Domini mane in altari, sed vespere bibunt calicem diaboli, sese ingurgitando aut aliis sordibus polluendo.

Quæso quid apostolus ait, I. Corinth. X. *Non potestis calicem Domini bibere et calicem demoniorum*, inquit. Maledicta ergo potentia est, quæ hoc facere potest sive audeat.

IV. Discimus beneficia ecclesiastica non conferre vel procurare consanguineis, sed dignis. Consanguinei Christi erant Joannes et Jacobus, a sedibus tamen petitis illico repulsi, nisi eas mererentur. Laudandus etiam hoc nomine Moyses, qui cum esset princeps populi sæcularis et sacerdotalis, neutram tamen potestatem resignavit filiis suis, quos habebat; sed principatum Josue oriundo ex alia tribu, Ephraim scilicet, sacerdotium Aaroni fratri dedit; idque: « Ut disceremus, ait Sanctus Hieronymus, in capite I. ad Titum, has dignitates non sanguini deferendas esse sed vitæ: » et Origenes, homil. XXII. in Numer. « Nulla, inquit, hic populi acclamatio, nulla propinquitatis habitatio contemplatio est. Et certe quid est, aliud pontificatum dirigere ad familiaritatem, quam rem tam sacram tamque divinam omnino profanare et ad sæcularem usum adhibere, ut fecit Balthasar ille in convivio? Quod quidem sacrilegium magno luit, statim et regno exutus et vita. » Sic ille. Exempla audiamus.

Cœlestinus V. ut narrat Alvarus, cum audisset fratris filium in curiam venisse, ejici statim jussit: et cum multi cardinales deprecatores se interposuissent, multo labore ac precibus hoc ad summum impetrarunt, ut ei simplex ac tenue quoddam beneficium concederet, quo illo accepto, statim remissus est domum: ita Alvarus, lib. II. de planctu ecclesiast. cap. XV. et Hieronymus Platus, de dignitate cardinalium, c. XXV.

Nihil illustrius, quoad hanc rem, Clemente IV. summo pontifice, qui anno 1265. Ecclesiæ pastor electus, hanc eandem constantiam mirabiliter tenuit. Sic enim memoria proditum est, eum duas

habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, et harum alteri, ut in monasterio collocaretur triginta libras Turonenses: alteri, ut nuberet, trecentas numerari jussisse, ea lege, ut æqualis conditionis viro nuberet. Quinetiam cum nepotem haberet, cui ipse nihil unquam dederat, sed Gallie antistes in gratiam pontificis tres contulerat in eum canonicatus; multis deinde rogantibus, ut aliqua cum dignitate cohonestaret, non modo nunquam adduci potuit, ut id faceret, sed eum ultro compulit, ut ex tribus illis beneficiis unum quod mallet retineret, reliqua resignaret: ita Platus ibidem. Qui plura volet Cor. in Num. cap. XXVII.

Discimus quinto, filiorum Zebedæi animum heroicum. Proposito enim sibi et quodammodo propinato calice passionis Christi, audacter responderunt: *Possumus*, q. d. nulla vitæ discrimina subire timemus, parati sumus adversa et amara quæque pro hac victoria exhaurire. Quid dicitis o fratres? Quid enim tu Joannes, quid agas cum magister tuus a Judæis crucifigatur? Num ad stare poteris morienti, inter truculentos hostes? *Possum*. Quid si tibi calix virulentus propinetur, num amore Christi haurire eum poteris? *Possum*. Quid si in dolium ferventis olei a Domitiano demittaris, num hoc pati poteris? *Possum*. Quid si in insulam Patmos relegeris, num et istud ferre poteris? *Possum*. Quid si inter apostolos, postremus omnium mori et in vinea Domini tui omnium diutissime debeas laborare, siccine magistri tui absentiam et mercedem tibi debitam tandem præstolari poteris? *Possum*. Quid vero tu Jacobe? Quid si tibi in Hispaniam abeundum sit, hoc cene iter facere poteris? *Possum*. Quid si ibi nullo aut permodico fructu facto, cogaris iterum redire et Jerusalem navigare? *Possum* et hoc. Quid si ibi te Herodes comprehendet et in gratiam Judæorum primum omnium ex apostolis necet, num gladio cervicem poteris subicere? *Possum*. Quid si is, qui te accusavit et ad tribunal duxit, veniam a te petat, num ei veniam dare et osculum imprimere poteris? *Possum*. Videte heroes, videte Boanerges et filios tonitruum. Felix es Hispania, quæ Jacobi corpore gaudes et præsidio. Huic enim apostolo debes primordia fidei tuæ; huic debes illam victoriam, quam anno Domini 834. duce Ramiro præeunte visibiliter exercitum ejus Jacobo, de Mauris et Saracenis obtinuisti, dum hostes omnes partim cæsi, partim capti, partim fugati sunt; huic debes, quod in fide semper usque in hodiernum constans perstitisti. Gloriatu rex titulo christianissimi, quod ita vocatus sit Carolus Martellus avus Caroli Magni a Gregorio papa III. gloriatur vicissim Hispaniæ

rex titulo catholici, tum ob fidem ad gentiles eorum opera propagatam, Reccaredi regis imprimis, qui ob causam dictam cognomen hoc in Concilio acclamatione episcoporum tulerat; deinde Cinthilani regis, qui in Concilio Toletano IV. conspiravit cum episcopis, ut nemo nisi catholicus in regno toleretur, idque deinceps posteriori reges servare promittant sub gravi anathemate, Baron. anno 639. et 738. denique regum Hispanorum, qui elapso sæculo in ultimas terræ provincias fidem invexerunt, mittendo suis navigiis et sumptibus fidei præcones, qui barbaras gentes erudirent.

Felices etiam nos si Jacobi et Joannis heroicis imitemur spiritus. Et vero hæc deberet esse tessera fidei nostræ contra hæreticos hujus temporis: *Possumus*. Nihil enim aut parvum videntur posse hæretici. Quæramus ex iis aliqua. Potestis credere Christum pro sua omnipotentia, vere et realiter esse in eucharistia, tametsi non videtis? Respondebunt mox: *Non possumus*. Potestis servare præcepta decalogi? *Minime*, inquit, *possumus*. Potestis vos continere et servare virginitatem? *Non possumus*, aiunt. Potestis carnem vestram jejunio, cilicio vel flagello non nihil castigare? *Absit, hoc non possumus*, inquit. Potestis relicto sæculo, pauperem Christum sequi voluntaria paupertate, castitate, obedientia? *Non possumus*. Potestis amore Christi et evangelii ad exteras nationes pergere et cum discrimine vitæ gentibus prædicare? *Non possumus*. Potestis pro evangelio vestro calicem passionis bibere? *Non possumus*. Nos vero cum apostolis ad hæc omnia voce respondemus: *Possumus*. Tametsi enim hæc facere non est omnium, faciunt tamen et nobis plurimi. Quod si adhuc in multis virtutum exercitiis infirmi et impotentes sumus, colligamus vires et si interrogemur a Christo: Potestis una hora mecum vigilare in oratione, dicamus: *Possumus*: potestis singulis diebus sacro interesse? *Possumus*: potestis conscientiam vestram quotidie exinanire? *Possumus*: potestis in anno sæpius confiteri et communicare? *Possumus*: potestis injurias æquo animo ferre et inimicis bene facere? *Possumus*: potestis imperare vestris passionibus? *Possumus*, etc. Hæc si possumus, auditores, respondebit nobis Christus categorice: Sedere ad dexteram et sinistram meam meum est dare vobis, quia vobis paratum est a Patre meo.

## CONCIO VII.

## MYSTERIA.

I. Quomodo Jacobus et Joannes ausi petere primas sedes? — II. Quare Christus respondet discipulis, non matri? — III. Quomodo nesciebant quid peterent? — IV. Cur passio vocatur calix? — V. Quomodo Joannes bibit calicem? — VI. Quomodo dicit Christus non esse suum dare quod petitur? — VII. Cur et nos aliquando repulsam patimur?

## THEMA.

*Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi.*  
Matth. XX.

Charissimi, aliud est audire vel legere Dei verbum, aliud intelligere. Ecce enim filii Zebedæi una cum matre audierant a Christo, Matth. XIX. sessuros se cum ipso super sedes duodecim, etc. rursus postea Christum dicentem: *Ecce ascendi in Jerusalem, et Filius hominis tradetur, etc.* Hinc re male intellecta putabant Christum regnaturum in Jerusalem regno temporali, et jam nunc instar tempus ejus reguli, quasi ideo nunc pergit in Jerusalem, ut regnum ibi capessat. Ideo petentes gloriam mundanam, fœde decepti sunt, et jure a Christo reprehensi, quia nimirum, ut ait S. Lucas: *Ipsi nihil horum intellexerunt.*

Ne ergo et nos fortasse decipiamur in verbi divini intellectu, non ipsi nos id interpretemur, sed magistros et doctores interpretes audiemus.

I. Qua ratione Jacobus et Joannes ausi sunt petere primas sedes? Respondetur primo, secundum Lyranum, quia erant cognoti Christi. Unde: « Per eos significantur ambitiosi, ait Lyranus, qui habentes prælatum consanguineum volunt per hoc in Ecclesia præ cæteris promoveri: » et D. Thomas, Matth. XX. « Credebant, inquit, quod deberet eis dare, quia conjuncti eierant secundum carnem, etc. » Dicebant enim Christo: (secundum Marcum) *Volumus, ut quodcumque petierimus facias nobis.* En, quam imperiosa est carnis cognitio: quam fortiter tentat et trahit hominem ad danda vel concedenda quæ non licet vel expediunt?

Secundo, secundum Bedam, Chrysost. et alios, quia videbant se præ cæteris a Christo honorari ac diligi. Nimirum periculosa res est favor et gratia humana apud magnates. Plerumque enim tales solent abuti ea gratia, et nimium se inflare et exaltare, unde facile postea crepant et dejiciuntur. Exemplo est Lucifer in celo, Aman in aula Assueri, Plautianus in aula Severi imp. qui ex humili fortuna in tantam amplitudinem elatus est, ut pene ipsum imperatorem æquaret, in tan-

tam gratiam apud ipsum, ut palam affirmaret Severus, non posse ullum malum a se Plautiano accidere: plurimis statuis honoratus anteambulones aliquot habebat, qui denuntiarent, ne quis in proximo consistere neve illum contueri aude- ret. Tandem a Severo interficitur et in viam projicitur, statua dejiciuntur, nomen abraditur, liberi relegantur, et tandem occiduntur, Baron. anno 206. Simili fortunæ lusu ex humili loco in altum evehitur Ablavius, in aula Constantini Magni ut una cum Constantino filio imperii rector ab imp. relictus fuerit, et pene imperatore plus posset, sed mox dejectus in Bythinia exulare cogitur. Eo cum missi essent percussores, litteras humiliter ei exhibentur ab imp. Constantino honorariæ, quibus ille perlectis, purpuram in litteris oblatam magno facto petiit. At illi foris stare aiunt, qui purpuram offerrent. Intromissi pro purpura necem illi purpuream intulerunt, et frustatim eum secuerunt ad instar pecudis, Volater. Baron. anno 337.

II. Quare Christus respondet discipulis, non matri petenti? Respondetur primo, ut demonstret se novisse, quod filiorum instigatione mater petat, adeoque eos pellat et erubescere faciat, tamquam conscius filiorum ipsorum. Sic cum David intellexisset Thecuiten a Joab subornatam, ipsa cœpit admirari sapientiam regis dicens: *Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Multo magis hoc de Christo dicere poterant hic Joannes et Jacobus, adeoque velut cordium cognitionem metuere.

Secundo, quia ipsi gravius quam mater in proposito corrigendi erant. Ipsi enim per matrem sibi petebant honorem; mater affectu materno non sibi, sed filiis. Ita sæpenumero liberi causa sunt parentibus vel occasio peccatorum, ideoque majori censura digni. Filii superbi, ambitiosi, prodigi, facinorosi, cogunt sæpe parentes per fas et nefas conquirere pecunias, præbendas, dignitates, etc.

Tertio, ut doceret cum mulieribus parce loquendum esse, clericis præsertim, et sermonem quanto citius fieri potest, abrumpendum. Ita S. Augustin. si forte ab aliquibus feminis, ut videretur et salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. Possidon. in ejus vita, c. XXVII. ita S. Xaverius mulieres adiri aiebat minori fructu, et majori periculo vel tentationis vel suspitionis sinistrae. Imo Concilium Carthaginiense, can. XXV. decernit ne episcopi, presbyteri vel clerici feminas accedant, nisi adsint clerici vel graves aliqui Christiani.

III. Quomodo fratres illi nesciebant quid peterent? Respondetur primo, quia forte terrenas tantum sedes et dignitates a Christo velut regnato in hoc mundo petebant, cum tamen ipsius regnum non esset de hoc mundo. Simili ratione merito nobis respondet, cum neglectis bonis spiritualibus temporalia quærimus, noxia vel inutilia vel vilia. Et certe si hoc illi petierunt, merito illis responsum est: *Nescitis quid petatis*, quantum scilicet oneris, periculi, curarum, invidiæ, laborum, etc. Id cognovit ille rex, apud Val. Max. lib. VII. cap. II. qui traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu consideravit et dixit: « O nobilem magis quam felicem pannum? Quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus et periculis et miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. »

Secundo, quia cælestes sedes petebant, nesciebant, quam magnam rem sua excedentem merita petebant. Dextera Christi Deiparæ debebatur, sinistra forsitan Joanni Baptistæ, aut Michaeli archangelo, alterive majoris meriti homini. Quare sicut puella duodennis petens vestem sororis adultæ merito audiret a matre: *Nescis quid petas*, quia vestis illa tibi nec congruit nec debetur: ita et hi discipuli simile responsum acceperunt, quia gloria illa tam sublimis eis non congruebat.

Tertio, quia finem ante media, quietem ante laborem, mercedem ante opera petebant. Volare ad cælum volebant, antequam pennas haberent, metere antequam sererent. Unde respondet Christus: *Potestis bibere calicem, etc.?* q. d. prius seminare et exercete terram, postea metetis.

Deficiebat ergo in multis hæc petitio. Petebant affectu cognationis; petebant importune et indiscrete: *Volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis?* Petebant vel rem vilem, et sibi noxiam, vel contra nimis magnam sibi non debitam; petebant obtinere non per media convenientia. Quod ipsum sæpissime non facimus, ideoque nec mirum si non audiamur.

IV. Quare Christus passionem suam vocet calicem, et secundum Marcum etiam baptismum? Respond. poculum seu calicem vocare primo, quia erat amara, sed salutifera potio cum nobis periculosissime ægrotantibus deberetur, nauseam vero pareret, sumpta est a Christo veluti nutrice nostra, ut sic ex ipso lac sacramentorum sugeremus in remedium nostrum.

Secundo, quia brevi tempore Christum eum exhausit et ebibit. Unde dicitur CIX. *Psal. De torrente in via bibet.*

Tertio, quia libentissime et cum desiderio eum

Christus ebibit, quasi sitibundus haustum. Unde dicebat: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, Lucæ XXII. et: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, etc.* Luc. XII. Hoc amoris calice inebriatus est velut Noe, ut nostri causa nudari non metueret et illud.

Baptismum vocavit, quia in passione sanguine tinctus et quodammodo lotus fuit, juxta id: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ palium suum*, Gen. XLIX.

Baptismus extra hominem abluit, calix intus afficit: ita passio Domini partim externa, partim interna fuit.

V. Quomodo Joannes calicem passionis bibit, et baptismo Christi baptizatus est? Respondetur bibisse, quando in dolium ferventis olei a Domitiano immisus et demersus fuit; et incolumis, imo vegetior inde exiens, in Patmos insulam relegatus.

Deinde, cum Christo pendenti in cruce adstitit, particeps dolorum ejus.

Denique, cum pro Dei gloria, et proximorum salute poculum venenatum exhausit sine damno.

VI. Quomodo dicit: *Sedere ad dexteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo?* Respond. non ait Christus, suum non esse dare sedes, imo hoc affirmat: sed suum non esse, dare eas Joanni et Jacobo, quod nimirum iis deessent ea merita, quæ ad has sedes primas requirebantur. Ad hunc modum si ludimoderator proponat præmium optime scripturis, et duo ejus amicissimi discipuli venient cupientes sibi donari præmium illud, merito audirent: *Non est meum id dare vobis, quia obtuli et proposui non vobis, sed optimam scriptionem allaturis, etc.* Quare sicut in comædia, non qui nobilem personam egit, laudatur, sed qui suam bene egit, qualemcumque tandem, ita regnum cælorum non datur personis, sed virtutibus. Nec magnus jam apud Deum est S. Jacobus, quia fuit apostolus, sed quia apostoli personam bene et cum laude egit. Is enim tam forti animo martyrium subiit, ut qui duxerat eum ad tribunal, inde mox conversus sit: rursus, cum is veniam ab eo peteret, osculum illi dedit, dicens: *Pax tibi sit, etc.*

VII. Cur etiam nos, qui panem nostrum quotidianum quotidie a Deo petimus, quandoque repulsam patimur, cum videlicet fruges damna patiuntur? Resp. primo, ut ne industriæ nostræ aut naturæ necessitati, sed Dei benignitati frugum ubertatem adscribamus, adeoque ipsi dicamus illud *Psal. CIII. Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore; dante te illis colligent,*

aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: auferente autem te faciem turbabuntur. In Actis apost. cap. XI. legimus prædictam esse famem futuram in universo orbe. Quæ quia tempore Claudii imperatoris, qui tunc per biennium successor erat Caii Caligulae, accidit, verisimile est ea voluisse Deum punire recentem idololatriam Caii Cæsaris, qui eo dementiæ venerat, ut ubique vel ut deus voluerit adorari, adeo ut nec Jovi cederet cujus statuam commutari in suam voluit, teste Suet. in ejus vita, cap. XXII. et Dione, l. LVI. Qui et addunt templa ei erecta, in quibus exquisitissimæ hostiæ, pavones, phasani et similia sacrificarentur. Quin et Judæis adorari voluit in imagine, quam poni jussit in templo Jerosolymitano. Ex ea igitur fame homines didicerunt, vel certe discere debuerunt, panem vinumque non dari a Caio, sed a Deo: qui proinde solus ad hoc invocandus et colendus sit. Scribit etiam Rob. Holcot. in lib. Sapientiæ, Deum in Noofortia Britannica provincia, cum aridæ jam essent fruges et ad metendum aptæ, numerosum locustarum immisisse exercitum, qui ita segetem omnem depastus est, ut ne granum superesset; additque comprehensas earum aliquas intra alas scripturam hanc habuisse: *Ira Dei*. Nimirum ostendere voluit Deus, ipsius esse dare fruges et panem quotidianum: sine ipso frustra expectari, tametsi jam præ manibus sit.

Secundo, propter peccata nostra. Ita enim Ezechielis, c. XVI. postquam varia populi peccata recensita essent, subdit Dominus: *Ecce ego ostendam manum meam super te, et auferam justificationem*

tuam, pro quo alii transferunt: *Diminuat statutum cibum tibi*. Nimirum sicut equo indomito pabulum minuitur, ut mitescat, ita nostram rebellionem fame castigat Deus. Scimus ex lib. II. Reg. cap. XIV. Absalonem, postquam sæpius, frustra tamen, ad se vocasset Joabum, tandem misisse servos suos, qui segetem ejus incenderent sicque obtinuisse, ut veniret ad se Joab. Quid mirum, sic et nos Deus multoties ad se, frustra tamen vocatos, simili plaga venire compellat.

Tertio, quia forte non damus Deo, quæ Dei sunt: quid mirum si neget nobis nostra? Sane quia Judæi subtraxerunt Deo victimas et decimas, ait illis per Amos, c. IV. *Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris et indigentiam panum, etc.* q. d. quia me in sacerdotibus meis privatis cibo et sacrificiis, privabo et vos pane vestro, ita ut dentes vestri obstupescant præ fame. Ad hæc instituta sunt ab Ecclesia jejunia quatuor temporum frumenti, vini et olei gratia juxta prophetiam Zach. VIII. ut jejuniis illis sacrificemus quodammodo carnem nostram, simulque impetremus frugum omnium proventum. At si istud sacrificium Deo non reddimus: non mirum si quæ nostra sunt, non accipiamus. Certe servos nostros, si non exacte nobis serviant præsentque obsequia debita, punimus fame, verbere et carcere: nostram vero negligentiam impune a Deo ferri volumus?

Quarto denique, per has clades probare vult nos Deus, utrum in ipso confidere possimus, quod etiam in rerum penuria et annonæ caritate possit nos sustentare, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### VARIIS SUPPLANTATORES.

Supplantatores, seu fratres Jacobi, multi. — I. In emendo et vendendo. — II. In solvendo. — III. Fictæ et subdole loquendo. — IV. In deposito. — V. In exequendis testamentis.

#### THEMA.

*Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.*  
Matth. XX.

Nihil est tam bonum et inculpatum, quod non in sinistrum sensum trahi possit a malevolis. Ecce enim nomen *Jacob* a primæva sua origine illibatum est, datum ei a patre, Gen. XXV. eo

quod teneret plantam [fratris in suo ortu; inde dictus *Jacob*, quasi *plantam tenens*. Sed ecce quando Esau frater ejus deceptum se ab eo credidit, in pravum sensum id detorsit, dicens: *Iuste vocatum est nomen ejus Jacob; supplantavit enim me in altera vice*, Gen. XXVII. sensum proprium in metaphoricum trahens, (ut advertit ibi Ben. Pererius) quasi deceptor esset, sicut qui ambulantis plantam tenet, ut eum in lapsum impellat. Quam ob causam forsitan voluit angelus, quo cum luctatus fuit, ut nequaquam amplius vocaretur *Jacob*, sed *Israel*, Gen. XXXII. Videtur etiam S. Matthæus in hodierno evangelio nomen id declinasse, cum *matrem filiorum Zebedæi*, non Jacobi et Joannis commemorat. Sunt igitur aliqui Jacobi, seu Jacobi fratres, qui non sunt laudandi,

sed vituperandi potius: qui nimirum juxta sensum ab Esau excogitatum, supplantatores sunt. Et quemadmodum peregrini S. Jacobi omnes mundi angulos pervagantur; ita et isti. Quos proinde investigabimus.

I. Quidam Jacobi, seu supplantatores, sunt in emptione et venditione, quod in primis innumeris modis contingit, e quibus pauculos videamus. Primus est, in mensura et pondere. De quibus Sapiens, Prov. XX. ait: *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum*, hoc est, mercator qui utitur pondere majore, dum emit, minore dum vendit; majore quod magistratui ostendat, minore, quo utatur; vel mensura majore, qua metiatur amicis, concivibus, officialibus, minore qua plebi vel externis. De qua fraude Michæas, c. VI. *Mensura minor ira plena*; quia cum Deus, ut in natura, ita et in moribus vacuum non patitur, quod deest mensuræ justæ, supplet Deus ira et vindicta sua, v. g. grandine, pruina, siccitate, sterilitate, frigore et aliis plagis, juxta id Isa. XXVII. *In mensura contra mensuram judicabis eam*.

Alter est, in monopoliiis, cum unus vel pauci aliqui trahunt ad se certam negotiationem sub tanta æstimatione, ut nemo minori pretio vendat. Similiter in emptione, cum aliqui inter se dolose conveniunt, ut nemo pro re venali plus offerat, quam alter, et iniquum omnes; imo qui posteriores licitatum accedunt, semper minus et minus offerant, ita ut venditor quasi in desperationem actus cogatur rem vendere ei, qui prior venit et plus obtulit, licet revera iniquum. Quod factum novi a fraudulentis quibusdam civibus. Dolus hic scorpionum Lybicornum est; qui ut pugnant dormientem, e laqueari sese demittunt, implexi mutuis caudis in catenæ modum, ut scribit Clemens Alexandrin. l. Strom. I. *Ælianus*, de animal. l. VI. c. XXII. Dolosæ prorsus bestię, quibus fraudatores illi plane sunt simillimi, dum mutua inter se conventionem alios defraudant. Quibus acriter minatur Deus, Amos VIII. *Attendite hoc, qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, etc. si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum!*

Tertius est in mixtione mercium adulterinarum cum genuinis. Quod exprobrat Hebræis Isaias, c. I. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua*. Quem posteriorem dolum in caupone, qui vinum aqua mixtum vendiderat, castigatum legimus (apud Sanct. Greg. Turon. de gloria confess. c. CLX.) a milvo, qui aurum ejus leporina pelle inclusum rapuit, et in Ararim flumen dejecit. Hujusmodi enim fraudes intuetur

Deus et castigat suo tempore; egestate perurumque, quam per fraudes suas effugere conabantur, juxta id Prov. X. *Egestatem operata est manus remissa*, Hebr. *remia*, quæ vox tam *fraudentem*, quam remissam significat.

II. Alii in solvendo. Primo, quando non omne debitum solvunt, sed per fraudem aliquid retinent, sibi que retinent: quod fecisse legimus Ananiam et Sapphiram, Act. V. ideoque morte subitanea plexos esse; quod, facta conventionem, fraudassent apostolos de pretio agri venditi, Deo promissi, nec totum numerassent, sed partem sibi reservassent. Putant aliqui patres morte solum temporali plexos. At S. Basilius, serm. I. de instit. monach. et S. Augustinus, serm. XXVII. de verbis apostoli, censent eos æternum anima et corpore periisse. Terribile prorsus exemplum: si enim ita puniti sunt, qui de suo, quod voverant Ecclesiæ, aliquid detraxerunt in privatum usum suum; quanto magis pœna digni, qui de alieno detrahunt? « Si qui ex prædiis propriis (inquit Antiochus monachus, hom. XLI.) supplantarunt, talem reportarunt ex furto exitum; quanto atrocius illos maeret supplicium, qui ex alieno compilant et arrodunt, peculio? » Deinde, si S. Petrus fraudem illam modicam divina revelatione tam cito cognovit, aliorum fraudes latebunt?

Secundo, quando in ipsa debiti persolutione dolum committunt, non fideliter numerando, quemadmodum trapezites, qui (ut refert S. Bernardinus, tom. II. serm. XXXIII. ar. II. factum suo tempore) cum alicui rustico numeraret pro floreno solido monetam, cœpit numerando dicere Italice: *Al nome di Dio e delli santi: in nomine Domini et omnium sanctorum, sex, septem, octo, novem et decem, etc.* Rusticus fraudem suspicans, numerat ipse quoque seorsim pecuniam, et deprehendit quinque grossos sibi deesse. Itaque refert eam ad trapezitem, et denuo numerari jubet. Numerat is ut antea, sed agricola rursus quinque grossos desiderat. Reversus igitur ad fraudatorem: *Numerat denuo*, inquit, *et omittit Deum cum omnibus sanctis*. Sic tandem recepit summam suam, et fraus alterius detecta fuit. Quid non audet avaritia? Ipsum Dei et sanctorum nomen servire illi debet ad nequitiam.

III. Alii fictæ et subdole loquendo vel promittendo. De quibus legimus Ecclesiastici XXXVII. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur*; quasi diceret: Qui fraudare alios captioso sermone conatur, ipsemet fraudabitur et capiatur. Sophisticus supplantator fuit, qui venditurus equum, jussus edicere defectus equi, hos prodidit, quod in arbores nollet ascendere; quod nimis multum comederet, et aquæ nimis